Guillaumot. 1869 1. 6

no 153/400

PRO REGE CHRISTIANISS. DEFENSIO

ADVERSVS PESTILENTIS doctrinæ libellum cui titulus, ADMONITIO G. G. R.

Rodol. BOTEREIO *ſcriptore, in magno Fran. Conſil. Aduocato.*

PARISIIS,
Apud IOANNEM BESSIN, propè Collegium Remenſe.

M. DC. XXVI.

Case
F
39:
326
1626 bo

THE NEWBERRY
LIBRARY

56-2223

PRÆTORI, PRO-PRÆTORI, Rerum capitalium Quęſitori, Conſiliariis Regis, iudicibúſque, & Triumuiris Fiſci præturæ pręfecturæque Præſidialis Lutetianæ. S.D. RODOLP. BOTREIVS.

CVm à bimeſtri, ægritudine pedum, (quam morbum arcthericum mihi blandiens dicere non auſim) domi retentus, à forenſi exercitatione deſtitiſſem, ab hiſtorica ſcriptione temperare non potui, materiam ſcribendi iudicium veſtrum præbuit, quo libelli peſtilentis infamiam rogo publico, infanda manu deleuiſtis, in ea verò vindicandi flagitij ſeueritate, hoc vnum dolendum, quod autho-

rem inſigniter maledicum & ſua peregrinitas, & apud ſuos exteros ſeceßio ſubduxit. At quamuis noſtris veterumque legibus receptum ſit, vt fœda & horrenda relatu flammis aboleantur, tamen cum noſtri æui procacia compertum ſit, damnatos exuſtoſque libros à fumo famam, & ab igne fulgorem capere quod vetita auidius apetuntur, vt ſingularia certamina, tot pœnis & terriculis prohibita, calcatis Edictorum quotidianis minis inſanius recrudeſcunt & peraguntur, ſic neceſſe fuit ſyncophantæ mendacia & falſas criminationes deleri, & legis Remniæ cauterium fronti ſine fronte inurere, vt reſponſione ad maledicentiam apud exteras gentes, de Regis innocentia ac de ſutellis impoſturiſque nebulonis abundè conſtet. Librorum cenſio veſtra eſt genuina & primæua animaduerſio, quæ tanto neceſſaria, quanto ſcribendorum diſſeminandorumque audacia crebra eſt & indoma-

bilis, nec Lutetiæ grauiùs peccatur, quàm furtiua editione ſcriptionũ, quę ſunt claſſica, tubicines fomiteſque ſeditionum. Romæ etiam Palatini Apollinis delubrum erat, in quo authorũ ingenui fœtus & monumenta expungenda deferebantur. quod Flaccus hoc verſu innuit,

Scripta Palatinus quæcunque recepit Apollo.

Id idpſum in Atheneo ad aram Lugdunenſem fiebat, à vobis antea & nunc ſedulò fuit proſpectum ne illa contages vltrò ſe diffunderet, ſed prurigo maledicendi, lucelli & pecuniæ corradendæ auiditas veſtra proſpicientia ſuperior fuit, author & Typographus ſępius anonimi ſunt, & qui puniatur ille eſt, qui Polyphemum excæcauit, alius priuilegium falſò conſcribit, alius doloſè ſubripit, nonnulli Sorbonicos ſibi notos deligunt, qui delibatis aliquot pagellis oſcitanter, & ſparſim legendi operis tædio deteriti (nam magnus & malus li-

ber, hercle magnum malum eſt) calculum adijciunt, & vappæ mandacem hederam ſuſpendunt, mox vbi in lucem opus exijt, errores interdum hæreſes & intemperiæ deprehenduntur. Interea malus liber carcere emiſſus peruagatur, & lue ſua lectorem afflat & inquinat. Itaque coercendo malo nihil eſſet conducibilius, quam ſi tres vel quatuor notæ probitatis eruditioniſque excutiendis perpurgandis caſtigandiſque exemplaribus, cum opimo ſtipendio proponerentur, qui à limine ad vltimam paginam defixo animo perlegerent. Ipſa vero reſponſio minus grata forſan erit, quod vna vel altera vernaculæ præceſſerint, non inficior, ſed earum tempeſtiuitas à propoſito non deterruit, imò animum adiecit, quod libellus latinè ſcriptus, & à latinè ſcientibus pertritus, non alia lingua reſponſionem exigeret, nam apud gentes exteras noſtratis linguę inſcias, noto ſibi idiomate ſcriptam virulentiæ ſpongiam mitti & publi-

cari oportuit. In ea ſcribenda I.C. & pragmaticorum morem ſequutus ſum, qui in his quę abſolutè facti ſunt, iuris & legum farragines proferre vetantur, & in orbita facti ponere immotum veſtigum iubentur, quod regia ſanctione Franc. I. 1539 diſtrictè indictum. Vt admonitor ille ſola dicacitate & virulentia potens eſt, rationibus & exemplis vacuus ſic nec eruditam operoſé & accuratè laboratam reſponſionem meretur, fatuo enim (inquit ſapiens) ſecundum ſuam ſtoliditatem reſpondendum eſt, & qui Theologicè & ad lucernam polita oratione reſponderunt, gemmas in lutum projecerunt, & maceriem ſine calce & arena labantem, ariete & machinis euertere voluerūt, admonitor iſte tantorum virorum ira & ingenio indignus erat, non claua ſed arundine percuti oportuit, veſtro decreto vt fulgetro penetrabili adeò proſtratus eſt, vt pro morticinio habendus ſit, & quamuis plerumque

combuſti mali libri, velut ſemine phœnicis ex buſto ac genitali cinere, pullos gignant, ille nihilominus tot telis ſpiculiſque confoſſus eſt, vt Pentheo fruſtulatim diſcerpto ſimillimus ſit. Hanc verò diſſertationem, à 3. tomo ſuccidi, & ſeorſim emiſi, quia recens iniuria diſsimulari non debuit, cum preſentem medelam poſceret. At ille Theologus (veriùs ille tamen domus Auſtrię paraſitus) qui tantopere ſedem Apoſtolicam & Pontific. Maxim. venerari & vereri ſimulat, vltro in eorum diras & deuotiones incurrit, qui memores tot benefactorum Regum Galliæ, eorum detractores deuouerunt, nam vt de vetuſtioribus taceã, Leo X. ad Franciſcum I. hanc prærogatiuam, elogium & benedictionis formulam, vſurpatis bibliorũ inauguralibus verbis adiecto anathemate in detrahentes conſcripſit, ſeruient tibi populi, adorent te Tribus, Eſto dominus Regum fratrum tuorum (*Theo-*

logę

logè vim verborum perpende) & incur-
uentur antè te filij matris Eccleſiæ,
*(hæc ad minores Reges Apoſtrophe, iſta ad
te ſimileſq; monitores ſeu conuitiorũ moli-
tores)* qui maledixerit tibi, ſit male-
dictus, & qui benedixerit tibi bene-
dictionibus repleatur; *Num hęc jacu-
la vana terricula, aut fulmen brutum pu-
tabis? ſi credis quod poſſunt & ſtatuunt
Pontifices, qui à poſſe & facere veteri ver-
bo dicuntur, è cœtu Chriſtianorum ſubmo-
tus es, & ſi non credis, inter deſpectores
irriſoreſque Pontificiorũ decretorũ habe-
ris, ego autẽ Curię, magni Conſilij, & Ca-
ſteleti luculentiora iudicia in Annalibus
commemorare ſoleo, nec verior narratio,
quàm quæ rebus iudicatis tranſacta ad
poſteros tranſmittitur: At quia ex ſemen-
te veſtra, hęc ſeges enata eſt, quaſi iure
prędiario has vobis ſpicas demeto & vo-
tiuas appendo & dedico. Pergite ô Iuri-
dici, è Caſteleto veſtro tanquam è ſpecula,*

Regni Regiſque gloriæ proſpicere, & in iſtos non litteratores ſed latratores, iacula publicæ vltionis vibrare, ignes accendere quibus fex & ſcoria malarum ſcriptionum in fumum & cinerem vertantur; quandoquidem flamma lucidior affulgere non poteſt, vt ædes lue tabifica inquinatæ, non niſi igne luſtrali & expiatorio, mundæ fiunt.

SENTENCE DE MONSIEVR le Preuoſt de Paris, ou Monſieur ſon Lieutenant Ciuil.

SVR la plainte à nous faite par le Procureur du Roy, qu'il ſe vend de nouueau deux liures. Le premier intitulé, *Myſteria Politica*, & l'autre *G.G.R. Theologi ad LVDOVICVM decimum tertium Galliæ & Nauarræ Regem Chriſtianiſſimum Admonitio*, remplis de pluſieurs propoſitions damnables & meſchantes, tendantes à ſedition, rebellion, & ſubuerſion de l'Eſtat, contre l'obeïſſance

qui eſt deuë au Roy, requerant ſur ce eſtre pourueu, & qu'il luy ſoit donné commiſſion pour informer, tant contre les autheurs deſdits liures, que ceux qui les ont imprimez, expoſez en vente, & qui les expoſerodt à l'aduenir. Nous faiſant droict ſur ladite plainte, & apres que leſdits liures ont eſté veus, leus, & examinez en la chambre du Conſeil: & ouy, ſur ce, le Procureur du Roy en ſes concluſions. AVONS par deliberation du Conſeil declaré, & declarons leſdits liures, pernicieux, meſchants & ſeditieux, remplis de faux faits, & contenans pluſieurs maximes & propoſitions contraires à l'authorité des Roys eſtablis de Dieu à la ſeureté de leurs perſonnes, au repos des peuples, & tendans à les induire à rebellion ſous vn faux & ſimulé pretexte de Religion. Comme tels, Auons ordonné qu'ils ſeroient lacerez & bruſlez par l'executeur de la haute Iuſtice, en la place de Greuë de ceſte ville de Paris. Enjoignōs à toutes perſōnes de quelque qualité & condition qu'elles ſoient qui ont leſdits liures, les apporter vingtquatre heures apres la preſente ſentence au Greffe du Chaſtelet de Paris, pour eſtre ſupprimez.

Deffences de les lire & retenir, à peine de la vie: & ſur les meſmes peines, à tous Imprimeurs, Libraires & Colleporteurs, de les imprimer, vendre, ny expoſer.

Ordonnons en outre, qu'à la diligence dudit Procureur du Roy, il ſera informé tant contre les Autheurs deſdits liures, que celuy ou ceux qui les auront imprimez, pour eſtre procedé contre eux extraordinairement, ſelon la rigueur des Ordonnances, comme perturbateurs du repos public. Et ſera la preſente ſentence ſignifiée au Sindic des Libraires, pour la notifier à leur communauté, à ce que aucun n'en pretende cauſe d'ignorance. Ce fut fait & ordonné par Meſſire Nicolas de Bailleul, ſieur de Vattetot ſur la mer, & Soiſy ſur Seine, Conſeiller du Roy en ſes Cónſeils d'Eſtat & Priué, Lieutenant Ciuil de la Ville Preuoſté & Vicomté de Paris, & Preuoſt des Marchands de ladite Ville, le Ieudy trentieſme iour d'Octobre, mil ſix cens vingt cinq.

Prononcée & executée les an & iour que deſſus.

MVSNIER.

PRO REGE CHRISTIANISS. *deſenſio, aduerſus Admonitionem* G. G. R.

Vdiuſtertius libellus in lucem prodiit exilitate ſua deſpiciendus, ſed crebritate & acerbitate conuitiorum deteſtabilis, cuius fœditas ſolo igne, manu carnificis publicè expiari debuit, titulus eſt *Ad Regem Chriſtianiſſ. fideliſſima Admonitio*; at monitor ipſe tribus majuſculis litteris nomen coniiciendum reliquit, quod ſolent peſtilentis doctrinæ ſcriptores, qui compendiariis litteris, cenſioni & pœnæ ſe ſubducunt, noſtro æuo crebrum nimis ludibrium, quo ſontes in tuto ſunt, inſontes ſi non pœnæ, ſaltem oppro-

brio & maledicentiæ ſubiacent, vt dirum hoc opuſculum probro datum eſt hominibus, qui omnino contraria ſuadent & agunt, At quiſquis ſit ille laruatus nebulo, Theologum Gallum ſe profitetur, cum neuter ſit, nam tota ſua diſſertatione nihil omnino Theologicè ſcribit, & latinitate ſcabra, & rerum Germanicarum recitatione, & in Cæſarem effuſo affectu, ſe verè Theutonem prodit, & quamuis alij Hannonium cenſeant, ipſe ego ex, ſtili ſcabricie Germanũ ſuſpicor, ſed cuiuſcũque nominis gentíſque hoc ſit propudium, nihil attinet; At malo genio litterarum contigit, vt libri damnati & exuſti, auidius expetantur & ex fulgore ignis Grauiæ ſplendorem accipiant, minus prudenter à nonnullis factum eſt, qui in Senatuſconſultorum collectaneis; non ſolum

Caſteleti iudiciũ recitarũt,ſed libelli deteſtabilis octo axiomata , quę ſempiterno ſilentio ſepeliri oportuit, ad litteram inſeruerunt, vt curioſis malè comminiſcendi anſam præbeant, fecerunt illi quod inuerecundè & audẽter nimium quiddam Franciſcanus egit, qui ſummam noxarum & peccatorum vernaculè edidit, qui dum incognita peccata recenſet, vulgo, virginibus & cuilibet imperito, non ſolum noſcenda ſed nouitate peccãdi imitãda proponit. Thema libelli eſt deuotio fœderis cũ Duce Allebrogum, Venetis, Anglo & Batauis initi, quod trium litterarum Theologus, mendaciter & virulenter deuouet. Initio ſcribit, fœdera cum impiis inita, à Deo ſeueriſſimè vindicata, aliquot recenſitis Bibliorum exemplis ; quæ minimè conueniunt, illa enim expreſſo ver-

bo Dei, & Moſis ad Iſraëlitas affatu & increpatione vetita fuerant, vt potè percuſſa cum dæmonolatris, ſed fœdus iſtud nihil habet ſimile, fœderatio ob iuſtas cauſas, quamuis in eam diſparis religionis ſocij acciti ſint non improbanda, res de qua nunc agitur non ad labefactandum religionis ſtatum tendit, ad vnum politicum ſtatum ſpectat, vt regnorum ditionúmque prędator ſuis finibus coerceatur, vt aquilæ roſtrum & vngues comprimantur, qui *vt piſces ſæpe minutos magnu comeſt, & aues enecat Accipiter.* Ille iam non ſe capit in tentoriis & inſignibus, globum vniuerſi Orbis ſubacti ſymbolum præfigit, Solem naſcentem occidentemque ſuis terris videre ſe gloriatur, imperium ſuum vtroque polo terminari Darium agit ni Alexander inſulanti & euaganti nimium

obſtat Indiam vtramque ſubegit, Luſitaniam Regi agnato, Parthenopem, Siciliam, Calabriam, & Apuliam, Inſubriam & Mediolanum, Vallem Telinam & Genuam Gallo ſuſtulit, Italiæ pedes, caput & latera inuaſit, reguli omnes Italiæ clientes & vectigales ſunt, & vix S. Pontifex clauibus Petri, & Pauli enſe tutus eſt, ab huius nutu & nundinatione cathedra pendet, Germaniam Italiæ attexuit, Fuentio propugnaculo ad lacum Larium condito, & vallis telinæ aditu vſurpato, ita vt à Gadibus ad Iſtri in pontũ Euxinum oſtia, planam ſibi viam fecit, & dextorſum ac ſiniſtroſum, in Germania, Belgio & Sequanis, nullo obiice interpoſito longè latéque dominari poſſit, hinc in Galliam & Angliam, terra marique facilis progreſſus, cæteri Dynaſtarum tam exiles, vt nec hinnitum

equorum aut clangorem tubarum ferre poſſint; Aduerſus impotentis Monarchi ingluuiem, quis tutus eſſe poſſit? penè vnus Rex Gallorum, cohibendæ tyrannidi par eſt, qui vt vicinis auxilio eſt, ſic eorum armis ſocialibus indiget. Fœderatio illa neceſſariò facta eſt, vt in æſtu maris & fluminum, cum intumeſcunt, ripas & littora prærumpere molliuntur, accolæ dato claſſico accurrunt, feſtinant operas, ſaxis, ceſpitibus, virgulis, palis & repagulis aggeres muniunt & ſtipant. ne facto hiatu & data porta fluctus torrens planiciem ſata hominum boumque labores demergat, ſic aduerſus ambitum omnia peruadentis, fieri neceſſe oportuit fœdus non alio ſpectat niſi vt Hiſpanus alienis abſtineat, ambitioni & auaritiæ frenum ponat, ſi faciat, bellum deſinet, quod tam iu-

ſtum quam neceſſarium. At quia Catholicus eſt, ergò vicinos impunè prędari licebit? ſed cum hæreticis coitio facta eſt, verè quidem, quia tempeſtas illa omnes percutit, in communi ſe tuentur, religionum diſparitas, poſſeſſionum iura non dirimit; Eccleſia de imperiis & ditionibus non ſatagit, ſed quid eſt quod religioni aduerſetur? in propugnatione rerum ſuarum, num in caſtris fœderatorum ſacra auita & orthodoxa intermittuntur? non hæreticorum nouitates exercentur? Duces Allobrogum & Venetus ab omni æuo diuini cultus obſeruantiſſimi fuerunt. Allobrox pro torque equeſtris militiæ, virginis nuntiatum partum habet, in ampliſſima æde Fulienſium in oppido de *Mondeuis* eius pietas & magnificentia conſpicua eſt: Venetiæ, præter Diui Marci tute-

laris ſui, anguſtiſſimum delubrum tot Eccleſiis, monachorum & ſanctimonialum cœnobiis abundant, vt ab omni hæretica prauitate longè abſint, niſi quis ſe tueri aduerſus inuaſorem, hæreticum eſſe putet? At verò Anglis & Batauis apertè & inſanabiliter hęreticis, Rex Chriſtianiſſimus ſociatus eſt? quid inde probroſum erit Gallo, quod monitor noſter, glorioſum Hiſpano putauit, qui Anglicobritanum coniugium tantopere iniuit & pepigit, ſi adimpletum fuiſſet, pro canonico habitum eſſet, ſi piaculum eſt, primum fuiſſet Hiſpani, cuius deſiderio euentus defuit, ſecundum Galli erit, quod S. Pontifex diplomate ſuo ſanxit, non vt blandiretur Regi Chriſtianiſſimo, ſed vt Catholicæ Religioni apud Anglos in cryptis clam ſe alenti ſuccurreret, & exulanti quaſi poſt limi-

nio regreſſum aperiret: quod ſi gentis acerbitas & procerum inueteratum odium, & Pontificis & Regis Chriſtianiſſ. vota fruſtratur, non eſt quod inde trium litterarum theologus, calumniandi anſam abripiat, quandoquidem Hiſpano res melius non ceſſiſſet: ſed quid tantopere Anglo-Gallicanum fœdus deuouet, cum Carol. 5. cum Henrico 8. amicitias firmauit, in Gallum coniurauit, poſtquam Catholicæ Religioni repudium miſit, ac ſe caput Eccleſiæ Anglicanæ profeſſus eſt, & Thomæ Mori Cancellarij, totque illuſtrium virorum cædibus & lanienis cruentatus, auitos rit⁹ profligauit, miſſam abegit, aras & ſacra incendit & expilauit; tamen Cæſar Auſtriacus, cum deſertore & peieratore illo, In Franciſcum 1. moliri non dubitauit. Statim ab obitu Eliſabethæ, Rex Catho-

licus per legatos ſuos dimiſſimè Iacobum 5. demulcere & ineſcare conatus, omnia terra maríque pollicitus, vt in Gallum arma ſocialia iungeret, ita vt huic genti quidquid vtile, religio ſit. Cum Batauis commercium virulentius increpat, perduelles illos, in legitimum principem ſuum armari, foueri, qui ſine ſubſidiis & auro Gallico iampridem ſub iugum rediiſſent. Reipub. & Religionis leges & iura diuerſa ſunt, in bello quod neceſſarium, iuſtum eſt. Hollandia punctum eſt in circulo Belgij, gens exilis, ſolo impotés ſalo potens, quę nauticis ſuis in Hiſpanum curſibus, eius faſtum & potentiam vehementer contundit. Batanus Ibero eſt, quod ſcarabæus Aquilæ, quod œſtrum tauris ferocientibus, in nido ſuo aliarum gentium prædonem appetit & prædatur, in

vtraque India & extremis orbis partibus expilat, & rapta regerere cogit. Ni Hollandus obſtitiſſet, cum vicinis malè actú eſſet, ſed quid conqueritur nos illi fœderatos eſſe, cum liberam gentem agnouerit, & hoc titulo duodecennes inducias pepigerit, At gens illa hæretica, & quæ huc vſque ſacrilegia ſpoliationes & incẽdia Eccleſiarum peragit, hoc profectò lugendum eſt, vt in bello nil niſi dirum & exitiale, ſed Gallus auxiliaris, hæc flagitia quantum poteſt cohibet, & feritatem ipſam mitigat, Rex Chriſtianiſſ. per Oratorem ſuum Ianinum, omnem adhibuit operam, vt Catholicis tacitè nidulantibus furtim audire miſſas fas eſſet, obſtitit procacia gentis, & nunc vſque Gallus Legatus Depeſſæus in ſuas ædes ad Liturgiam aditum facit. At Deus bonè, Hiſpanicus blatero

templorum vulgarium expilationes à Batauis exprobrat, cum anteceſſores ſui ſub Carolo 5. non ædiculas minorũ Diuorum expilauerint, ſed toto Orbe anguſtiſſimum templum principum Apoſtolorum, vrbe capta ſpoliauerint, ipſum Pontificem & Cardinales vinxerint, & non niſi auro ingenti redemptos liberos eſſe voluerint, & cum factum inficiari nó poſſet hanc editam vaſtitatem excuſauit, diuinituſque factã dixit, vt Romanæ Curiæ intemperiæ, faſtus abuſuſque caſtigarentur, Regum Galliæ verò, moderatio & abſtinentia alieni potiſſimum patuit, cum Henricus 3. Batauis ferocia Hiſpanica rebellare cogitantibus, & vltrò ſe dedentibus minimè audiens fuit, & fraternæ cognationis obſeruans, ſpe mitioris imperij, in obſequio ſtare monuit. Obijcit Syncophant

phanta fœdus, Tureicum & cum Gabore Daciæ Regulo occulta conſilia, ſed vbi pudor vbi fides, qnæ Theologi præcipuæ ſunt dotes, quis neſcit legatione Frácica magna parte Germanos Principes & Dynaſtas, à coitione belli in Cæſarem dimotos? atque ipſum Gaborem Regis Chriſtianiſſ. potẽtia deterritum, pacatiorem factum. Dux inculiſmenſis, Bethunius, Albaſpineus de Preaulx aliique legationis principes erant, qui decurſa Pannonia in Daciam penetrarunt & Gaborem hęreticorum conſiliis opibuſque concitatum, Cæſari minus nocentem effecerunt: vt Homerus, Neſtoris prudentia & conſilio, maiora facinora quam manu & vi patrata commemorat. Sic illa Legatione Ferdinando plus ſuppetiatum, quam ſi Rex auxiliarem exercitum tranſmiſiſſet. At induciæ

cum Turca toti Orbi Chriſtiano perneceſſariæ ſunt, nam ſub auſpiciis vexiliſque Galliæ, per Othomanici Imperij fines, tutò itur & nauigatur, atque ipſi Hiſpani, vt ſe latrociniis Turcarum ſubducant, inſignia Francica ſumere, & ſe Gallos mentiri coguntur. Hinc ad Dominicum ſepulchrum religioſæ peregrinationes, & crebriores & ſecuriores eſſe ſolent, Henricus 4. ea fuit apud Barbaros veneratione, vt Ieſuitis in ſuburbana parte Biſantij, incolatum & ſcholam impetrarit, & quoties in capitis diſcrimen (quod non ſemel contigit) adducti ſunt, deprecatore & fideiuſſore Francico Legato, præſenti exitio ſubducti ſunt. A triennio Ludouici pietas, in Dominicũ ſepulchrum effulſit, nam ad inſtaurationem vetuſtate collapſi, votiuum aurum & ad ornamentum aulæa & gazas mi-

ſit, quinimò ſubditos ad hoc certamen pietatis, publicis programmatibus inuitauit, nihilominus maledicentiſſimus mortalium, ob fœdus initum ad mutuum præſidiũ aduerſus regnorum prædonem, ſub admonitionis titulo, diras & deuotiones & morticinia conuiciorũ in Regem innocẽtiſſimum, hæreſis acerrimum oſorem & profligatorem ingerit. De Ludouici æuo impuberi meritò ac verè dici poteſt, quod de Hercule adhuc cunis inuoluto, qui manibus tenellis inuiſos cylindros diſrupit. Ludouicus, in hæreſis ſectarios belli tyrocinia egit; vſurpauit impleuítque quod Iulius olim, *veni vidi vici.* Infra octiduum, totum Bearnum vix vnquam credenda celeritate, otioſè & incruentè ex hoſtili & impacato ſuũ fecit, Lithurgiam tot annis exulare iuſſam, templis adytiſque reſtituit,

Clerum auitis ſacriſque poſſeſſioni-
bus reſtituit, In Pictonibus, Aquita-
nia, Occitania, & Delphinatu, vrbes
oppida & arces à perduellibus tot
annis poſſeſſas ita vt aduerſus Regē
præſcriptione ſe tuerentur, vel expu-
gnauit, vel deditione recepit, nouis
præfectis prȩſidiiſque impoſitis, vt
iam rebellare non poſſint, omnibuſ-
que his locis ritus catholicos deſue-
tos & procul amandatos inſtaurari
iuſſit, parcant mihi anteceſſorum
Regum manes, Intra ſexennium ad-
uerſus hȩreſim plura Ludouicus geſ-
ſit, quam illi omnes, eam appetere
aggreſſi ſunt, ſed quȩ lētis conatibus
appetita inualuit, & laceſſita vt an-
gues leuiter percuſſi exaſperantur
vires auxit. Herculis, vltimi duo la-
bores ſuperſunt, Mons Albanus &
Rupella, duæ hæreſis officinæ & pro-
pugnacula, ſed in eum ſtatum addu-

ęta, vt nuſquam peiore fuerint. Ager Montalbanéſis nuper horrenda vaſtitate fœdatus, arborũ vitium, villarum excidio, terminorum auulſione & ſuffoſsione deperditus, ita vt caſmate & hiatibus ipſa ſoli facies prorſus immutata ſit. Rupella circumfluentis Oceani, Martis & Neptuni fiducia olim potens, omniumque ſectariorũ ſociatis viribus fulta, à pluribus annis, fruſtra tentata, ex vanis ſumptuoſiſq; obſidionibus animos ſumpſit, & huc vſque terra & mari plura damna intulit, quam accepit, ſed recenti victoriâ, adeo fracta & elumbata, vt à capta non longè abſit. A triennio vicini fortalicij fræno fortiter coercita, ſed nunc clauſo mari à Regia claſſe, ciuibus intra mœnia cohibitis, qui cibariorum defectu debilitati, annonâ & omni commeatu intercluſis, ſine tormen-

tis & vi bellica intra paucos menſes ad deditionem compelli neceſſe eſt, neque enim fame ipſa potẽtius tormentum, in eruentè expugnãdarum̃ vrbium, nunc noua ars eſt, corona cingere, caſtra foſſis munire, terræ ſuffoſſionibus & glębis aggeſtis militem à jaculationibus defendere, vnum efficere, ne quis ad obſeſſos aditus pateat, ſic Iuliacum, ſic Breda, vrbes munitiſſimæ ſub iugum iuere, ſic & Rupella, hoc nouo machinamento ibit, ſed mallet Hiſpanus in perduellione conſtantem quàm domitam, quia Gallici belli fomes, Regibus donec ſubacta ſit, perpetuò negotium faceſſet, nam perturbatio Galliæ, tranquillitas eſt Hiſpaniæ Philippus 2. militare hoc axioma in ore & vſu ſemper habuit, à domo ſua arcendum bellum, & in vicinas ditiones ablegandum & alendum

ratus non melius pecuniam nupendi poſſe, quàm à tumultus aliis regnis crucitandos, quid non egit, quid pretermiſit quo apud nos bellum aberet: cum in anarchia ſex decim latrones, regnum inuadendum obtuliſſent, Belgij amiſſionem, Regni Gallici inhiationi poſt poſuit, nam cum Mauritius Belgio immineret, nihilominus milite & pręſidiis exhauſit, & cum potentiſſimo exercitu gentilem ſuum ducem Parmenſem in Galliam tranſmiſit, Lutetiæ regni conuentus haberi procurauit, in quibus perditè inſanitum de lege Salica abroganda, eligendo Rege extraneo excluſis hæredibus, cui Infans Hiſpanica nuberet, nouum facinus cogitatum, ſed bono genio Gallię ludificatum, nihil deterritus rebus infectis, ſecundò Parmenſis reuerſus nihil fœliciùs peracto, Gal-

liam inſuperabilem expertus eſt, & penè fatalem ſenſit, nam ſelopo brachiū ſaucius, ab Henrico 4. in fauces & oſtia Sequanæ ad Caldobechium, id eſt in caſſes compulſus erat, vnde ſe explicare non poſſet, cum in extremo terræ termino exitus non pateret, magnus profectò caſtrorum Imperator ſpatio trium horarum vernæ noctis in Pentecoſte, nauibus compactis tabulis deſuper iniectis, ſubito ponte alto ſilentio ſuſpenſo gradu numeroſiſſimum exercitum Sequanam tranſmiſit & Henrici 4. jam de manubiis cogitantis expectationem fruſtratus eſt. In has anguſtias ſe Parmenſis coniecerat ſpe regni inuadendi vt Philipp. lucrifaceret, cumque in ſpeciem Hiſpanus hæreticos odit, nihilominus in Gallia ſoboleſcere & propagari cupit quo Regi Chriſtianiſſ. plures inte-
ſtini

ſtini hoſtes ſunt, & inuadendum diripiendumque regnum facilior aditus ſit, nec dubium eſt quin Rhoanijs fratribus, aurum & ſubſidia ad turbandum ſubmiſerit, nihil ſollicitus qua manu, & cuius ſcelere regnum labefactetur: ſic olim abauus Carol. 5 ad obſidionem, & excidium Romæ Lanſquenetis Auguſtanæ confeſſionis vſus eſt, nec in delectu militum religionis diſcrimen habuit. At quid petulantiæ tuæ ſupereſt Theologaſter? qui poſtquam Regem omnibus maledicentiæ telis proſcidiſti, totam pharetram exhauris in Regni adminiſtros, ſacri Conſiſtorij Aſſeſſores, & pręcipua regni lumina & columina, nulli ordini, nulli dignitati parcis, Cardinalis, Antiſtes, atque ipſe forſan S. Pontifex, pro gregario ſacerdote tibi eſt, omnes vt fœderis ſuaſores deuoues. At quid ſcabræ tuę

malignitati clauſum eſt? Ille de quo frendes Cardinalis, in Theologia tantum ſapit, quantum deſipis, hinc Sorbona controuerſiarum arbitra, omnibus calculis, prærogatiua excellentis ingenij, & eminentis doctrinæ, eum ſibi patronum & vindicem ſelegit, & ſub eius auſpiciis ordinem ſuum dignanter & catholicè tuetur. Anne ſunt pugnantia, bonum eſſe Chriſtianum & Francum, hæreticorum & hoſtium Galliæ eſſe oſorem? vt Petri & Cæſaris leges diuerſæ ſunt, ſic Religionis & regiminis politici, aliud in Eccleſia, aliud in Repub. At homo frugi, ad fœderationis ferendos ſumptus, Clerum exhauriri conqueritur, quis tibi Theutonicè, pro Gallicano Clero, Quiritandi mandatum dedit? qui vltrò ad reliquias hæreticorum conuellendas ſtipem confert, & ſecretum ærarium à regio conſtituit, nihil vnquam iu-

ſtius indictum, quam cenſibus Eccle-ſiæ hoſtes ſuos vinci & profligari. An nouum eſt, & in ſola Gallia vſitatum, ab Eccleſia Rempub. inuari? audiat Theologus vetuſtatis teſtem D. Ambroſium. *Si tributum petit Impera. non negamus, Agri Eccleſiæ ſoluant tributum.* *Aduerſus Auxentiũ.*

Et cum Ducatus, comitatus, feuda & cenſus, quos Eccleſia poſſidet, à Regibus, tanquam à fonte ditionum ſæcularium promanarint, eos in arctis rebus, ab Eccleſia iuuari æquum eſt, illa enim eſt in repub. & naui vt omnes qui vehuntur, pretium vecturę & nauticum tributum Pro retæ ſoluere tenentur, ſic & Eccleſiaſtici, fiſci indictionibus obnoxij ſunt; an in indictionibus Ibericis melius cum Clero agitur? ad expugnationem Bredæ, myſtici omnes, monachi Sanctimoniales, cenſum perſoluerunt, nulli Eccleſiæ, nulli ordini par-

citum eſt, & temen monitor in noſtratibus damnat, quod in ſuis quotidie exercetur. Vltimum maledicentię telum eſt, Edictum Nannetenſe, quo nupera religio toleratur, Chriſtus cum Belial copulatur, legitima vxor cum pelice ſociatur: iniquitas temporum & mali inſanabilis procacia, ab impuberibus Valeſiis, acerbum hoc remedium extorſit, ſumpto ab Auſtriacis principibus exemplo, Ferdinandus enim Ceſar, in cunabulis Lutheriſmi, conſtitutione quam *interim* vocant inducias fecit, quę cùm certis locis circumſcripta eſſet, poſtea auctioni ſubiecta, per totam Germaniam precio nummario propagata eſt. Pragæ, Cęſares omniũ religionum propudia & portenta tolerarunt & aluerunt, non clam in cryptis, ſed palam in ſuggeſtis, omnibus ſectariis, ſuas inſanias prædi-

candi veniam fecerunt: Hiſpani Reges, tot annis Mauros, & recutitos in ſuis regnis tolerarunt, & cum multitudine ſui generis terrori eſſent, Philippus 3. finibus excedere iuſſit, eiecti, vagi & errones, cum in Phocenſem prouinciam appuliſſent, prece precio, incolatum in aliquot regni prouinciis ſeruiliter depoſcebāt, Rex Chriſtiā. dedititios & vltrò vectigales reſpuit, ratus piaculū, hæc Hiſpaniæ purgamenta, & coluuiē recipere, quo vno pietatis actu, verè Chriſtianiſſimi, titulum impleuit. Mihi ſatis fuerat, monitoris nebulas difflaſſe, nugacitates, & deliria maledici diſſipaſſe, ſed quod à diſputante, contrà affirmātem non exigitur, probatum illi eſſe volo, fœdus cum Principibus initum, & iure gentium & ciuili & diuino, legitimū; iure naturę primū quia innato nobiſcū affectu, ad no-

ſtra ſeruanda propugnanda & vindicanda impellimur, iure gentium & ciuili, quia quilibet ſua tueri adigitur, vetante etiã diuini numinis vaticinio *ne egrediaris terminos quos poſuerunt antiqui patres tui.* Hinc priuatis aduerſus prędiorum inuaſores, recuperandæ interdictum competit, & quod illi apud prætorem libello faciũt, Principibus in bello ſua repoſcentibus, tam æquum quam neceſſarium, vt par enim cauſa amiſſionis ſic remedium recuperationis, quod enim Titius, & Mœuius, in vicini agello agunt, in dynaſtiis Principes id faciunt, vt argutè pirata Alexandro increpanti piraticam, reſpondit, is ſum, quia tibi potentiori ſic lubet, ſed quod vna ſcapha & phaſello conor paruus, tu claſſe facis. Reges Galliç potiſſimum, rebus dotalibus coronæ Franciæ repoſcendis, & reſti-

tuẽdis,multo ſanctius obligati ſunt, quia adminiſtratores tantũ, & ad id ipſum, ſacramẽto ad aram Rhemenſem, cum in augurantur, adicti ſunt, quo non ſolum, non alienare neque diſtrahere cenſus regni pollicentur, ſed res diſtractas & inuaſas repetere iurant, itaque quod religionis vinculo Rex obſtrictus facit, non poteſt à Theologo dici iniuſtum, cum noxarum diſquiſitores, ac caſuiſtarum facilè princeps Martinus Aſpicuelta Hiſpanus, fas eſſe Principibus ſpoliatis ſua armis repoſcere non diffiteantur, alioquin vita Principum, eſſet vita miluium, vulturum & accipitrũ, qui vnguibus & roſtris potentiores, de imbellibus lanienam faciunt. Auſtria domus, Galliæ ſpoliis manubiiſque ſaginata, regnorum eſt hyrudo, totum orbem inter duos conſanguineos partiri ſatagit, & vni pre-

cipuè dominatũ vniuerſum affectat, & Dauidicum vaticinium implere cogitat. *Domini eſt terra, & plenitudo orbis terrarum.* Tot regni auulſas lacinias ſpoliato recuperare, tot abſciſos ramos arbori, & ſurculos liliis reiuindicare & denuò attexere, quis non æquum putet? Maritus rei vxoriȩ & dotalium, incurioſus & improuidus, non ſolum ignauiæ accuſatur, ſed in propriis bonis damnum luere cogitur, tot gemmas & margaritas à Francica corona auulſas cur Ludouicus 13. ſacramento ad aras obligatus non repoſcat? cur illi fraudi & noxæ erit, quod anteceſſoribus ſuis glorioſum fuit. Anglus, ducentis annis regnum non ſolum vi & armis, ſed aſſenſu penè vniuerſo Francorum occupauit, tandem Deus miſeratus vicem, & diuturnam caſtigans iniquitatem, malæ fidei poſſeſſores re-

bus

bus raptis faceſſere, & trans Oceanũ nó redituros ſeſceſſere iuſſit: Hiſpanus non potiore iure fultus eſt, vſucapio ſeu poſſeſſio diutina minus, quam Anglicana, quamuis ſine titulo illa ſit prędatio, cui nec iura patrocinentur, nec arma fauent, quia vt regnorum ſtabilitor & arbiter Deus eſt, ſic aſſertor & vindex, nam vt eleganter Ethnicus penè Chriſtianè *valet ima mutare Deus, & inſignem attenuat, obſcura premens.* Regi Hiſpanico exemplo ſit Ducum Burgundiæ ſublimitas & potentia omnibus Europæ Principibus formidabilis, & exitium ſupremum, dominatu tam ſtupẽdo, ad vnicã Mariam redacto, quæ iure dotis, ad Auſtriacam domum, Belgium ampliſſimam ditionem, ſed Regibus Galiæ iure feudi obnoxiam tranſtulit, magna imperia citò dilabuntur, & filii iniquitatem iactura bonorum luunt, quam tutius eſt firmiora Imperia

quam lata & diffuſa vicinorum ſpoliis habere : inuadere deſinat, nulla erit fœderatio, cui neceſſariam cauſam tribuit, defrænata illa euagatio in aliorum fines. Tandem vltimo & decumano fluctu furés ille Theuto, tempeſtates, fulmen Vaticanum diraſque Pontificias minatur,

Demens qui nimbos & non imitabile fulmen, &c.

Quaſi ad homuncionis nutum ſedes Apoſtolica moueatur, vt ex Vrbano Chriſtiani Orbis parente, in Eccleſiæ Primogenitum tonantem & fulminantem faciat. At tantum abeſt vt ab intimo ſuo affectu, Pontificem abalienet, vt ſi forte deteſtabilis libellus, fœtore Romam afflaſſet, pœnas non diſſimiles dediſſet. Libris enim ad ſeditionem, & alenda principum diſſidia ſcriptis, feralis ignis Romæ ſemper paratus eſt. Vbi portentoſus hic partus, ortu ſuo Solem Galliæ infuſcauit, omnes Regis regnique amantes, ad ſuffocandum accurre-

runt, vt aues gregatim aduolant,ſi quando Bubo, media luce ſe dat foras,in deformem alitem irruunt,impetunt, lacerant & deplumant,ſic in libellum, Librorum centuria inſurrexit, & ego ſtilo & tempore poſtemus,poſt tot Aquilas, tenuis Regulus minutiſſimus auium, ad viſcerationem aduolaui, & imbelli noſtro,ſeminecem impetiui: Gallicæ & aduerſariæ ſcriptiones, ſatis ſuperq; cæſim & punctim monitorem, toto corpore confoderant,& cribrum fecerant, ſed eo ſermone quo læſit, laceſſendus erat: Quod ſi ante conatū meum, cenſionem Cleri Gallicani legere aut ſubol facere, mihi contigiſſet,poſt Apellem qui huic tabulæ manum admouit,à ſcribendo omnino tēperaſſem, illa enim cenſio tam accurati ſtili, tam mundæ & puræ latinitatis eſt, vt ſanos omnes facilè deteruiſſet,nihilominus in re Literaria, penè idē eſt quod in caſtris, ſunt

lixæ, Calones, funditores, gregarij tyrones poſtremi ordinum, Equites Prętoriani,cataphracti,&Triarij,in quibus ſumũ eſt robur : ego verò in latinitate gregarius sũ,qui poſt Leo-noriũ Stampéſem Carnutensẽ Epiſ-copum cenſionis,ſeu ſententię Cleri in publicis comitijs ſcriptorem,verè & purè Latinum,Craculus,poſt Olo-rem ſtrepere auſus ſum:nec mihi ta-men fraudi eſſe debet, ille enim ſacri & Auguſti conſeſſus, ſententiam vt concepta & decreta fuit, latiniſſimè expreſſit, ego ſtilo non omnino diſcrepanti,pro Regis,cauſa hoc pa-trocinum eduderaui, dum à foro fe-rias, & à Clientela morbus bimeſtris inducias facit, nulla accepta aut ſpe-rata mercede:Ecquidenim pro tãtil-la opella expectarem?cum pro tribus tomis Annalium duode triginta an-norũ,nec mica ſalis mihi tributa fue-rit?quod profectò me recreat, & ſe-curum facit,ab æmulorũ impetgine,

qui opimo & annuo ſtipendio Regis ſaginati, in pluma & otio, vernaculas argutias ſcribũt, dum ipſa Latinitas mihi & familiæ in damno eſt: miſerrima autem conditio ſcribentiũ, qui inuicem ſibi detrahunt, qui ſe mutuò lacerant & lacerantur, nec forſam mitius liuor mecũ aget: Quod ſi quis, maledicẽtiæ telo me percuſſerit, vel cum fœnore depulſionẽ expectet, ſentiet me hiſtricem vndiquaq; aculeatã, habeo enim clipeũ ad propulſandũ, nec gladiũ obtuſum ad feriendũ, faciã, quod cerui Cretẽſes qui ferro ſauciati, paſti Dictamo, cuſpidẽ in percuſſorẽ reiiciũt. At quiſquis es lector (non maleuolè) pro tua humanitate, à me ſempiternum beneficium (maleuolè) veneficium, pro tua iniquitate expecta.

Nec sũ adeò in Latio peregrin⁹, vt aſpera inultus
Scripta ferã, pharetra eſt, mihi acutis fœta ſagitis
Seu pugnare lubet vincto, aut ſermone ſoluto,
Et mihi vterque ſtilus, læſo, non defuit vnquam,
Si quis me feriet, feriam non cuſpide inermi:

FOEDERIS REGIS CHRISTIANISS. & Principum Propugnatio.

SIccine Thento furẽs, vel Belga proterue, tribuſq;
Nec caput Antyciris ſanabile, ſiccine Regi
Regum phœnici, Chriſti vncto, cana tenenti
Lilia, cuique dedit nomen Themis *aurea*, IVSTI,
Auſus es, infami (ſcelus) inſultare libello?
Quẽ rogus in Grauia, & man⁹ effera ſuſtulit igni
Quiq; vltore capit fulgorem exuſtus ab igni,
Qui cinerẽ genitalẽ & habet, poſt buſta reſurgẽs,
Dignior, at flammis fuit ille voracibus author
Impius, & meritus mugire ſub ære Perili,
Quem, fœdus cum Principibus *ſocialibus ictum,*
Infurias rabiemque acuit, qui percitus oeſtro,
Deuouet aduerſum prædoni fœdus Ibero:
Venalis ſcriptor, calamũque operãque proteru
Qui locat, & piſcatur hians infamibus aurũ ex
Chartis, inque ipſos Reges conuitia vendit:
Votorum tibi ſumma, vt ſit moderator Iberus
Europæ, totumque regat ſub legibus Orbem,
Imperioq; premat cunctas domus Auſtria gẽtes:
Allobroge & Venetis ſeruãt qui clauſtra ſubactis
Italiæ (auertant talem ſed numina caſum)
Mãtua, Parma, potẽs nec Ethruria, Luca nec ipſe
Qui Chriſti Petrique vices regit, vnius omnes
Viribus obſtabunt, Inſubres qui caput, ipſam
Partenopemque pedes, Gallo prædator ad emit,
Iampridem & domino ſcopuloſa Liguria ſeruit:
Iungite caſtra acies, propellite finibus hoſtem

Auſoniis, veſtris ditionibus vndique hiantem,
Proſpicite heu? vobis, bellum inſociale coite,
Irruite aduerſus prædantem cuncta Tyrannum,
Arnum, Atheſim, atque Padum Tyberim & ſeruilibus vndis
Sub ditione ſua qui certat habere fluentes:
Iamq; ſub imperio tremit illius Itala tellus,
Et ſecta in dominos, domino iam ſeruiet vni:
Poſt cladem ſociorum, armis ſeſe vſque tueri
Serũ erit: ergo citi cõmunem inſurgite in hoſtẽ,
Fœdere (Momus ait) prouecta fouetur ab illo
Hæreſis: at Lodoicus eam, cane peius & angue
Odit, & inuictas acies eduxit in illam:
Quis neſcit captas, vel Marte vel arte tot vrbes?
In quibus illa potens nimium regnabat Erymnis?
Vnde fugata, vetúſque aras & templa recepit
Relligio, turpi exilio proſcripta tot annis?
Quis Regum, in caſtris iuueniles exigit annos,
Longinquis & militiam fert durus in armis?
Bella tot exhauſit, præſens ſpectator & actor,
Ac pro thuricremis pia prælia conficit aris.
Se fingit Gallum, laruatus Alaſtor, at ille
Sit Gallus, Cybeles qualis de gente ſacerdos
Sectus, dignus enim, careat qui parte virili.
Cæſari & Hiſpano, dum Theuto famelicus iſte
Palpat, in excelſum & ructat conuitia Regem,
Cæcus in vltrices diras, fulmenque tremendum
Pontificum cadit, & ſe ſe impius amouet aris,
Qui Reges in Liligeros, maledicta vetarunt,

Cenſuriſque auſos feriunt, & fulmine Petri,
Sedis Apoſtolicæ, quod in acres ſæpe tyrannos,
Bella mouere pij, & deiectos reſtituerunt,
Ac deffenſores, largitoreſque fuere;
At caput VRBANVS *deuotũ hoc fulmine perdat,*
Sentiat, atque graues Diuûm Mezentius iras,
Infandumque loco ſit opus damnabile in omni,
Roma nec, vltrici ſit in illud mitior igne.
I nunc (ſcurra procax) magno & conuitia Regi
Ingere, ſacrilego tibi quæ conficta furore,
Quæ rota, quæq; rog⁹, ſatis & crux nulla piabũt:
At vos, (Iuridici) prima ô Prætoria *ſedes*
Galliæ, vt vrbs, vrbes cunctas ſupereminet vna
Sequanis, omne forum, & ſic Præſidiale tribunal
Vincitis & vos præcipuò fu getis honore.
Pergite, in infames, quibus eſt data cenſio, libros,
Scriptorum partus, ferro igni abolere nefandos.

IN LIBRI DETERRIMI GALLVM DETERRIMVM interpretem.

Quæ monſtris caruit nunc Gallia abundat, & vnum eſt
Quod, patrio infamem tranſtulit ore librum:
Non ſatis, Auſonio nocuit ſermone, fuiſſet
Ni noſtrate, magis redditus ille nocens.
Theuto cremendus erat, cum Gallo interprete, vtroque
Et libro: O quam ignis lucidus ille foret.